



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus


Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus XXIX. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

grande illud Miraculum trium puerorum, quos in fornace Babylo-
nica non tantum non ausa est flamma attingere, sed amœnissima
recreavit aura. *Per se*, ait ille, *paupertas ignis est acris & molestus, sed*
tamen si quis in eam se voluntarie conjiciat, & in eo Deo gratias agat, ejus vin-
cula dissolvuntur, flamma extinguitur, aut si non extinguitur, quod multo est ad-
mirabilius, pro flamma ros sentitur. Id verò apparet in Dei famulis, qui se pau-
peritati devovent, quoniam in paupertate ditiores sunt divitibus, & in medio igne
purissimo ac placidissimo rore perfunduntur. Maximus enim ros & ad animam
recreandam aptissimus est, non teneri divitiarum concupiscentiâ. Hæc bene
perpendens Christiane Lector, nonne felicissimum te profiteberis, si
instinctu Dei voluntariam professus es paupertatem? aut si id à te fa-
ctum non sit, sed opibus pollens in sæculo vivas: ut istæ quietem
animi tui non perturbent, acquiesce consilio Apostoli monentis:
Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur &c. imiteris S. Gregorium
M. qui summas Pontificiæ Sedis divitias non majoris æstimavit,
quàm Eremitarum aliquis suam felem. Fac tibi de Mammona ini-
quitate amicos in Cœlo, largam erga pauperes extendendò manum,
Nunquam differ, aut nega mercedem indigentis v. 14. citati capit. impe-
rante Deò, eaque omnia Misericordiæ Signa exhibe, quæ residui hu-
jus capituli describunt versus, quos vide.



FASCICULUS XXIX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 25. 26. & 27. lib. Deuteron. in quibus describitur lex de
numero plagarum, Justitia ponderis & mensura, offerendisque fructibus.
De exstruenda Ara, & Ritibus maledicendi impios &c.

N. 192. *Considera I.* **S***I pro mensura peccati erit & plagarum modus teste Scri-*
pturâ citati cap. 25. v. 2. tunc utique titulò justissimò
peccatis mortalibus æternas deberi pœnas; Qui enim
peccat

peccat in bonum infinitum in- & extensivè tale, teste S. Bonaventurâ in cap. 6. Lucæ utroque modò infinite puniri debet. Et quia creatura non potest habere infinitatem intensiōis, suscipiat alteram, scilicet infinitatem durationis cum firmitate acerbitatis. Tanta nempe est malignitas peccati mortalis, ut nullis bonis operibus puræ creaturæ valuerit ex æquo compensari: Sed ad hoc necesse fuerit, Ipsum Deum incarnari, ut satisfaceret rigori divinæ Justitiæ, quid ergo mirandum, si illud dicatur mereri pœnam perpetuò duraturam? quod enim malum est, ut nullis operibus, licet optimis, & longissimò tempore continuatis exæquari possit, merebitur utique pœnam quòvis tempore longiorem? adhæc sic lubet cum angelico argumentari Doctore: si peccator felicitatem & bonum fluxum æterno non dubitavit præferre bono, multò magis id egisset, si felicitas illa bonumque ab eo quæsitum æternitate foret affectum: hoc inde cognosces: quòd non paucos reperire datum, qui etiam vitam vel oculos exiguæ voluptatis causâ vendidêre. Martialem legas lib. 6. epigrat. Et videbis, talem existisse, qui oculis potiùs, quàm ebrietati valedicere voluit, audiens enim à Medicis: aut sibi abstinendum à poculis, aut excæcandum se fore, cæcitatem præhabuit. Parè electione peccator fertur in bonum aliquod terrenum, ut illud præhabeat æterno; quid mirum ergò: si æternum puniatur, qui æternum spreverit bonum, momentaneo postpositum. Et ne dubites: unicò peccatò mortali contrahi æternam pœnam, imò unicâ tantum delectatione morosâ, circa objectum sub gravi peccato vetitum versanti; hinc Seraphicus Doctor Tom. 7. compend. Theol. ait: *Venditio momentanea dat jus possidendi perpetuum, & vulneratio momentanea cicatricem infert perpetuam.* ò Christiane! si frequentius hæc in animo tuo volveres, utique non tam facile annutum præberes tentanti Diabolo, aut carnî, practicè agnoscens maximam illam differentiam, quæ datur inter momentaneum, quod delectat, & æternum, quod cruciat. Non divitiarum inordinatò affectu inductus haberes contra mandatum Dei diversa pondera in sacco tuo v. 13. cap. citati. Sed erga omnes foret tibi *mensura & modius equalis.* Verbò & exemplò *adificares Domum fratri tuo, virtutis semen excitandò illi.* Offerres in debitam beneficiorum acceptorum memoriâ Primitias frugum, ut jubet Deus cap. 26. v. 10. possesque contestari: te fecisse omnia, quæ Deus præceperit v. 15. cit. capitis, Imò te *Sanctum esse Domini Dei tui,* v. 19. capitis ejusdem.

N. 193.

Considera 2. Cùm sacratissima Eucharistia per Antonomasiam passim vocetur *Sacramentum Altaris*, circa Altare verò Deus cap. 27. imperet; illud nullatenùs exstrui debere ex lapidibus, quòs ferrum tetigerit; ferrum autem sit belli rixarumque symbolum juxta communem DD. sententiam, hinc colligi: Sacramentum isthoc à solis mansuetis & pacificis tractandum, sumendumque esse. Erat ex celeberrimis Eucharistiæ figuris una, de cœlis missum Manna; at constat, illud nunquam in castra & militum Tabernacula, sed extra cecidisse. si ergò figura Sacramenti Altaris militum castra adeò habuit. exosa, longè verisimilius erit, figuratum discordias exhorriere. Quare Christus illud instituturus non Romam belligeram, sed Jerosolymam, *Visionem Pacis* dictam, præ omnibus elegit locis. Fuit adhæc non absque Mysterio ultima Cœna in Sion celebrata, de quo loco regius Vates prædixerat Psal. 73. *Factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion, ibi confregit potentias arcuum, scutum gladium & bellum.* Angelicus Doctor p. 3. q. 73. a. 3. ad 3. Eucharistiam vocat Sacramentum amoris & charitatis, sicut Baptismum Sacramentum fidei, denominatione hæc non tantùm desumptâ ab effectu, quem producit in animabus, eam dignè recipientibus, uniendò videlicet eas arctissimò vinculo amoris, sed præsupponendò charitatem, tanquam dispositionem sumè necessariam iis, qui hõc Eucharisticò refici volunt eduliò. Quare divinus animarum Sponsus ad se accessuros, amicos vocat Cant. 5. dicens: *Comedite amici, & bibite*, q. d. illos solum ad corpus suum sumendum ut dignos hospites invitari, qui veram amicitiam charitatemque inter se & proximum foveant. Sive attendamus ad species panis, sub quibus velatur Christus, sive ad materiam ejusdem panis, quem ad hoc Sacramentum elegit instituendum, aliud non denotatur, quàm charitatis & unitatis perfectio, ex multis enim granis quid aliud nisi panis unus efficitur, & ex multis acinis, nisi unum effluit vinum? in tantam namque unionem grana contrita, & contracta cœunt, ut unum ab alio discerni nequeat. Si ergo tam arcta surgit ex his materialibus rebus unio, quàm arctam putas requiri ab illis, qui veniunt, Eucharistiam requisita dispositione sumpturi? hinc Christiane, ut evadas in Altare, huic cœlesti Sacrificio excipiendo dignum, obsecunda verbis ipsius Christi, quibùs Matthæi 5. te admonet dicens: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet ali- quid adversum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri*

fratri tuo. Longissimè à te absit, ut tantùm quoad speciem extrinsecam redeas cum fratre ad concordiam, fovendò adhuc in mente *Synulacrum odii & vindictæ*, propriâ authoritate proximo inferendæ: sed quod peragis ore, peragas & mente. Eris hêrcle aliàs *maledictus*, si simulans pacem, confratrem tuum *cacum errare feceris*. v. 18. citati cap.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 28. 29. & 30. lib. Deuteron. in quibus describitur Benedictio observantium, & maledictio transgredientium legem. Dei Beneficia, legis lenitas.

Considera 1. **P**Lurimos Christianos haud aliter à peccando deterreri, N.194. vel disponi ad pœnitendum, quam metu temporarium pœnarum. Quo in passu sequuntur Hebræos, quibus capite 28. v. 22. cominatur Deus, dicendò: *Quòd si audire nolueris vocem Domini, percutiet te Dominus egestate, febrî &c.* Hoc ipsum proh dolor! hæreditate acquisivimus à protoparente nostro, de se Genes. 3. profitente: quòd timuerit, sed non ea de causa timuerit Deum, quòd per inobedientiam suam ei fuerit injurius, sed quòd se aspexerit nudum, nudum planè non tantùm vestibûs, sed omnibûs bonis, quibûs ante lapsum abundaverat. Genes. 4. Parentem secutus filius Cain eâ solùm de causa conqueritur, quòd ejiciatur à facie terræ; quasi nihil formidinis sentiret ex tam formidabili scelere, in fratrem commisso. 1 Reg. 6. dicitur: luxisse Populum, eò quòd Dominus percussisset plebem clade magna. Quasi verò post patrata crimina rideret adhuc, nil minùs, quàm de lacrymis cogitans: nisi tam rigidam divinæ Nemesis experiretur vindictam? Israëlitzæ non Ægyptum pertæsi, sed virgîs & compediûs afflicti clamârunt ad Dominum, & filios Jacob tunc primùm pœnituit barbari illius facti in Josephum exerciti, cum se ob illud agnoverunt, in extremas angustias redactos. Ita teste Olivâ lib. 4. Stromatum: *rare displicet, nisi strangulet crimen.* At rare non strangulabit, dum plerumque peccator pœnæ suæ proprius est author, dicente S. Scripturâ cit. capitis v. 16. *Maledictus eris &c.* quæ verba inuunt peccatorem ipsò factò in caput suum provocare maledictionem, ociùs inferendam: sic enim Genes. 18. dicitur peccata Sodomorum clamorem in se ipsis habere, qui iram provocet Dei. *Quid querimur,*
ait

ait Salvianus de Providentia Dei lib. 4. *Quod dure nobiscum agat Deus? vim, ut ita dicam, facinus pietati sue, ac manus quodammodo asserrimus Misericordia eius &c.* Sed quanta hæc est amentia hominum, quæ ab ipsis etiam bestiis superatur, quas constat: non tantum pœnarum metu, sed aliis titulis & causis ab offensa Dominorum suorum absterreri, & has inter facile primatum tenet gratitudo, per quam adactæ bestia, etsi naturâ sint ferocissimæ, suos tamen Heros & Benefactores non solum non offendunt, sed ab omni injuriâ ab aliis inferenda, defendere nituntur. Et homo tot beneficiorum à Deo acceptorum immemor, eâ tantum de causa ab injuria Dei absteineat, aut cum offenso à se in gratiam redeat, quia peccandò, vel non pœnitendò, pœnas in suum provocat caput? quare mihi videor: Christum Dominum è cruce pendentem, omnî veste exutum, paribûs verbis, quibûs olim ingrati tudinem peccantium Judæorum arguerat Moyses, conqueri de nobis v. 5. capitis 29. dicendò. *Adduxi vos per desertum &c. & non sunt attrita vestimenta vestra &c.* Vos autem me vestra è societate expulsam infami ligno alligastis nudum? & à tam immani crudelitate vos tanti beneficii memoria deterrere non potuit? eroque in eadem cruce per vestram impœnitentiam tamdiu pendere coactus: donec per pœnas vobis illatas exsolvar? ego sum, qui amore vestri texti cœlum nubibûs, ne solis ardor vobis molestus sit, & vos per impudicitias vestras nec minimos mihi centones relinquitis, quibûs ab impiorum oculis contegar, nî in debitam scelerum vindictam, vos ipsos cæcitate percutiam cum Saulo, qui tunc primùm pœnitentiâ ductus exclamare cœpit: *Domine! quid me vis facere?* hæc & alia Christi lamenta audiens Christiane Lector, amore filiali instigatus dicito: Domine non peccabo amplius in te, non quia ut punientem Judicem timeo te, sed quia ut beneficium Parentem amo te.

N. 195. *Considera 2.* Quàm verissimè dixerit Moyses, nomine Dei allocutus Israëlitas c. 30. v. 17. *Mandatum, quod præcipio tibi, non supra te est, neque procul positum.* Nam omnia Præcepta Dei unicum proponunt objectum, Dei videlicet amorem. Hinc Apostolus 13. Rom. profitetur: *plenitudo legis est dilectio.* Omnia autem teste Idiotâ, quæ gravia alias & difficilia accidunt, amor reddit facilia, & quasi nulla. Atque hinc commune illud proverbium: *Amanti nihil difficile.* Amor perplexitate caret, quæ illum impediatur, quia ingeniosus est. Non timet viam, quæ illum defatiget, quia amans non currit, sed volare consuevit.

suevit. Non prævalent contra illum minæ, quia ipsam etiam mortem fortitudine superat. *Nil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computat amor verus. Amor, si amor est, vincit omnia*, ait S. Chrysol. Serm. 40. Enumera omnes legis, præsertim novæ difficultates, si quas ponderosas esse credis, & pone eas ad trutinam. Dic: te juberi, ipsos etiam inimicos diligere, odiô prosequi propriam animam. Juberi te, tam exactam habere tuimet custodiam, ut etiam de otiosis verbis obligeris ad rigorosum examen. Juberi te, omnia amore Dei perdere ad ipsam quoque famam & honorem. Juberi te demum (ut alia taceam, quæ minoris forsan æstimas difficultatis) crucem totâ vitâ portare. Sed hæc omnia tam levia, tam facilia unicus reddit amor, ut videantur omne pondus gravans perdidisse. Testis mihi est omnî exceptione major S. Chrysof. qui Homil. 23. in 1. Corinth. inquit: *Charitas cum lucro voluptatem ingentem habet, laborem nullum.* Testis est mihi celebris illa in Canticis Sacris Sponsa, quæ legem Sponsi sui, primô quidem intuitu velut integrum Montem Myrrhæ reputans, re ipsâ nil aliud reperit nisi fasciculum, causam hujus allegante mellifluô Patre Serm. 13. in Cant. dum ait: *Fasciculum dicit, quod leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat & doloris. An non fasciculus, cujus jugum suave & onus leve est in se: neque enim levis passionis asperitas, mortis amaritudo, sed levis tamen amanti, & ideo non ait tantum: Fasciculus Myrrhæ dilectus meus, sed mihi inquit, quæ diligo fasciculus est.* Testis est mihi sanctissimus meus legislator Patriarcha Benedictus, qui in Prologo sanctissimæ suæ regulæ testatur: *inenarrabili dilectionis dulcedine curri viam mandatorum Dei, etsi angustô initiô incipienda sit.* Testis est mihi Maria Magdalena, quæ licet tenerrima foret mulier, sese promptissimam tamen obtulit non tantum ad legem Christi, sed ad ipsum Christum virum perfectæ ætatis & eximiæ staturæ facillimô negotiô portandum, non viribûs tœminei corporis, sed ardentissimæ charitatis præpotens effecta. His testibus innixus dicam cum Sapiente: *Cura ergo disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum.* Dilectio est, quæ invalidis addit robur, & ex pygmæis gigantes facit fortissimos. Illa juvenibus se immiscens faciliores ipsis reddit crucis fructus, quam delicias carnis. Illa se in nobilium Domicellarum cœtus inferens masculum eis inserit animum. Illa in regularium personarum penetrans Monasteria, longas vigilias in suavissimos somnos, jejunia in lautissima convivia, cilicia in mollissimas togas convertit. Illa in eremos transit,

M m

easdem-

easdemque in deliciarum permutat Paradisos. Illa demum horrendis Martyrum cruciatibus sese insinuat, & ignes in rorem convertit. Non opus est, ut hoc confirmem testibus; alias mihi præstò forent cantantes in flamma Babylonica tres illi pueri. Præstò mihi foret Agatha, quæ quasi ad epulas invitata glorianter ibat ad carcerem & ignes. Præstò foret Polycarpus, qui in accensa fornace jubilarè lætoque carmine laudare Deum auditus est. *ò quàm meritò igitur, quàm justè damnabitur, dicam cum S. Thoma Villanov. conc. de sced. qui maluit ardere, quàm amare, qui cum habuerit sibi propositam vitam æternam & Bonum perpetuum solâ dilectione facillimè obtinendum v. 15. cit. capitis, per dilectionis absentiam leges divinas sibi reddens impletu impossibiles, se præcipientem egit in mortem & malum æternum.*

Doctrina 3.

Desumpta ex capitibus residuis lib. Deuteron. in quibus describitur Josue in Ducem designatio locò Moysis, mala post mortem eventura præfagientis. Canticum recommendatum Populo tractans de Beneficiis Dei. Populi Benedictio, & secuta Moysis mors.

N. 196. Considera I. **Q**Uàm tremenda supplicia hebraico Deus cõinetur Populo, tunc ei obventura, quando Moyses in mortem clausisset oculos. Afferit enim cap. 31. v. 17. *Trascetur furor meus contra eum in die illa, & derelinquam eum, & erit in devorationem, & invenient eum omnia mala.* At verò cui sceleri tot cædes cladesque attribuuntur? respondet S. Textus: *Verè, quia non est Deus mecum, invenerunt me hæc mala.* Ergò sola oblivio divinæ præsentia tantarum mater radixque pœnarum, quæ antea pepererat gravissimas Hebræorum culpas. Psal. 10. *Non est Deus in conspectu ejus,* de inveterato peccatore exclamat Propheeta regius, & effectum hujus causæ illicò subjungens pergit canere: *Et inquinata sunt via illius in omni tempore.* S. Paulus uberrimam Messeni apud Galatas zelosissimâ prædicatione collectam, ut vidit deficere, in hæc prorupit verba. *ò insensati Galatæ! quis vos fascinavit non obedire veritati? q. d. ò vos Galatæ! quibus convertendis tantum adhibui laborem, quæso: cur tam citò iterum perverli estis? quæ causâ tam abominandæ metamorphoseos? sed en! causa non latet, clarissimè enim patet tuis in verbis ò Apostole, dum asseris: ante quorum oculos Jesus Christus*

Christus proscriptus. Ergo unica tam celeris peruersionis causa divinæ præsentia absentia est, ex qua pariter ortum traxerat extrema Judæorum malitia & immanissimus in Christum furor: velantes enim faciem ejus dixere Lucæ 22. *Prophetiza, quis est, qui te percussit?* in quæ Verba Simon de Cassia lib. 13. scribit: hæ sententiæ se versa vice respiciunt, cum dicitur: *Non videbit Dominus,* Psal. 26. & *Prophetiza nobis.* Et quid modernò tempore Atheistis ad absurdissima quæque crimina habenas laxat: nisi vesana illa persuasio de nullius Dei intuentis existentia? *dixit inspiens in corde suo non est Deus.* Psal. 13. & quid inde secutum? pergit Psaltes v. 2. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Vide ergo Christiane Lector, ut præsentia Dei nunquam tuo excidat à corde. Illius frequens memoria erit tibi instar Josue, ductura te per viam mandatorum Dei ad cœlestem Chanaan. Non permittet te servire Diis passionum & brutalium appetituum. Scribet in pectore tuo juxta imperium Dei carmen divinarum legum. Confortaberis, & eris instar Josue vir robustus, nil passurus adversi ab hostibus Inferni, qui iter ad patriam tibi remorari conantur: sed teste S. Bonaventurâ l. 2. opusc. de perfect. relig. c. 20. Beatitudinem cœlestem quodammodo in hac vita auspicaberis, familiarem tibi habens divinam præsentiam. Ut enim Angeli ad nostram custodiam deputati, ita se ministeriis istis impendunt, ut tamen beatò Dei conspectu neutiquam priventur: *Angeli enim eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est,* Matth. 18. Ita ubique locorum in tuis occupationibus distineris, ut semper mentis oculum in Deum figens illud prægustes in ænigmatate, quò frueris aliquando facie ad faciem, cum regio Vate gravissimis Aulæ & belli curis occupato valens testari Psal. 15. *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Et hinc certus esto; nullum temporis momentum à te fore otiose transigendum, nullam occasionem meriti negligendam, nullam gratiam in vanum abituram, si non ore tantum, sed corde exclames: *Vivit Dominus in cujus conspectu sto.* 4. Reg. 3.

Considera 2. Quanta sit surditas peccatoris per inveteratam consuetudinem obdurati. Videbatur Moyses citius insensibiles cœlos instar æris solidos, quàm homines, peccatis per pessimam consuetudinem immerfos, ad auditum moturus. Hinc non asserit in Cantico suo: *Audite homines, sed audite cœli, quæ loquor* v. 1. cap. 32. Et si paternam Dei Bonitatem pietatemque eis summè deprædices cum Moyse

v. 6. capitis cit, tamen non eris exaudiendus ab illis. Etſi providentiſſimam ejus demonſtres curam, vî cujus homines cuſtodit, *ut pupilam oculi ſui* v. 10. cit, cap. oclufas tamen reperies aures. Etſi vigilantiffimam ejus cuſtodiam *inſtar aquila ſuper pullos ſuos volitantis*, extollas cum eo v. 11. clamabis in vanum. Etſi liberalitatem ejus, quâ *melle, butyrò & lacte omnigenis que terra fructibus* omnes reficit v. 13. & 14. cum eo ſummis laudibus efferas, actum tamen ages. Etſi demum rigorofam Dei Juſtitiam, quâ rebelles aggregatis malis obruere ſolet v. 23. ad vivum cum ipſo depingas, marmor tamen locutum te eſſe deprehendes. Quare ò Chriſtiane! ſi peccatum in tua deprehenderis conſcientia, ocius per pœnitentiam illud expelle, ne firmam in te radicem agens, parem in auribus tuis ſurditatem pariat, qualem pepererat in auribus illius juvenis, de quo præſentem hiftoriam narrat clariffimæ memoriæ Miſſionarius R. P. Segneri in Hom. Chriſt. p. 2. d. 9. n. 10. Quam pro uſitatâ hætenùs brevitate nonnihîl contractam ſic propono. Vivebat in illa Angliæ Provincia, quæ Lancaſtria nominatur, Juvenis, qui à parente optimo educatus, totò cœlò ab illius moribus aberraverat. Inter alia autem vitia totum ſe dederat laſciviæ, auſus etiam de ſpurcitiis ſuis publicè gloriari, & domi alere fœminam meretricem; à parentibus, à confeffariis læpè admonitus, ſurdas ſemper oppoſuit aures. Interea Deus Parenti ejus jam vitâ defuncto impertitur licentiam, adeundi filium: ut quem viventes ad frugem reducere non poſſent, reduceret mortuus. Quare filio dormienti apparens, verbis ſuavibus & paternis, ſed maximam emphafim ſpirantibus hortatur, ut ocius reſpiſcat. At ſurdo canit fabulam, quin potiùs riſum ei movet. Hinc denuò adefſt Pater, & vultu ad ſeveritatem compositò, celerem inculcat pœnitentiam, finiens admonitionem ſuam hiſce verbis: Hæc ultima eſt admonitio tibi à Deo facta terminuſque peremptorius, aut vitam mutato, aut die S. Martino dicato, vitam & animam ſimul perdes, mortem improvifam ſubiturus. ò horrendam peccatoris inveterati ſurditatem! verba tam tremenda ſomnii inſtar inaniffimi habentur à perduto juvene, qui ut ſtimulum conſcientiæ, qui etiam invitis oblatrare ſolet, ſopiret: S. Martini Feſtivum diem inſigni convivio deſtinat, quam etiam cum amicis feſtivè inter pocula tranſegerat eò hilarior, quòd nocte imminente crederet, ſe magnum prudentiæ ſpecimen dediſſe, fidem importunis ſomniis denegandò. Sed nesciebat miſer, diem S. Martino Martyri ſacrum

facrum suæ ruinæ præfixum esse, opinione suâ deceptus. Quare instar bestia ad macellum ductæ exultat, & ecce! sub meridiem duodecimi Novembris, Festo videlicet præfati Martyris & Papæ, dum securè effrenatis cupiditatibus suis indulget, improvisò malò obrutus, inter meretricis suæ amplexus animam exhalat. Hòc exemplò deterritus ociùs respisce Christiane Lector: Verba Christi Lucæ 7. ad mortuum dicta, tibi quoque seriò dicta credens: *Adolescens surge, ne senescens in vitio, dum moras nectis pœnitendò, moriaris differendò, periturus cum surdastris impœnitentibus.* Sicut lapis projectus in flumen format circulum, ex quo dein alii & alii nascuntur, donec ille ad scopulum vel terram illius quiescat; ita peccatum unum animæ immissum, & non citò per pœnitentiam ex illa ejectum generat aliud & aliud, donec peccator habituatus, ad terram & sepulchrum allisus mergatur in profundo Inferni, auditurus horrendos Dæmonum clamores, qui exaudire noluit blanda admonentis Dei verba.

Pro coronide totius Pentateucon perpende: quomodo anima N. 198. Deo devota Benedictiones, quas in sensu litterali acceptas Moyses direxit ad Tribus Israël, in sensu morali in se completas experiatur: Ipsa enim instar *Ruben vivit vitâ gratiæ. Pugnat instar Juda, erectis ad Cœlum manibùs fundendò preces pro populo, & adiutor ejus contra adversarios est.* Probatum cum *Levi* per tentationes. Habitat tanquam alter *Benjamin amantissimus Domini* confidenter in Deo, & in eo quasi in Thalamo per assiduam contemplationem totâ die moratur. Instar *Joseph de Benedictione Domini terra ejus est, de pomis Cœli &c.* in exitu de hac mortali vita *letabitur cum Zabulon.* Habitaturus cum *Isachar in Tabernaculis æternis: eò quòd tanquam Gad fecerit Justitias Domini, & contra vitia velut catulus Leonis fortissimus pugnaverit sicut Dan, abundans sicut Nephtali virtutibus, placensque sicut Aser fratribus suis, à quibus vivus & mortuus laudabitur.* Miraberis porrò brevissimum Moysis tanti viri vitâ sancti Epitaphium, ultimò capite descriptum hîs verbis: *Mortuusque est Moyses servus Domini. v. 5. Quis enim non isthæc, aut illis similia exspectasset Encomia? Hic jacet electi Populi supremus Ductor, Deus Pharaonis, Salvator Hebraorum, Legislator Rituum, immanium Hostium Domitor, Miraculorum patratore &c.* Hæc verò omnia tacens S. Scriptura solummodo servum Dei Moysen deprædicat. Sed hoc ipsum cæterorum silentium summum Moysis Encomium est; enim verò illorum omnium Pompa cum unicò *Servi Dei* tirulò comparata instar

instar fumi evanescit. Nam teste S. Hieronym, *Grandis Dignitatis & meriti est esse servum Dei.* Et S. Ambros. lib. de vid. asserit: *Nulla est major Dignitas, quam servire Deo.* Quare Christiana anima, Dignitates & grandes Honorum titulos si appetis, en! præstò tibi est unus, tam facilè obtinendus labore, quàm facile est portare jugum Christi suave & leve, huic ergo colla submitte spretò Mundi servitiò, cui pro vano titulo tamdiu incassum impendisti vires.



FASCICULUS XXX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. Josue, in quibus describitur promissa à Populo obedientia Duci Josue. Ablegatio exploratorum in Jericho, quos Rahab abscondit, salvata per funiculum è fenestra suspensum &c.

N.199. Considera 1. **I**Sraëlitas Duce Josue promissam sibi terram ingressuros non absque mysterio eidem spondidisse exactam obedientiam: ut enim noverant, tam frequentem inobedientiam illos ab ingressu terræ ejus retardâsse, ita credidère, se per obedientiam ocius ad eam venturos. Haud aliter sanè obedientia, divinis præstita Præceptis, omni Christiano accessum ad cœlestem Chanaan præparat, maturatque, quem inobedientia solet præcludere. Salvator noster Regnum Cœlorum à nobis obtinendum comparat validissimo cuidam fortalitiò, asserens Matth. 11. *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* In quæ verba mellifluus Doctor ait: *Porrò violenti sunt, qui abnegantes propriam voluntatem se ipsos cogunt, aliis obedire. Felix talis coactio, qua cœlestis Regni acquisitio est.* Eòdem tempore, quos Salvator nos docuit, à Patre æterno Regnum cœleste petere, dicendò: *adveniat Regnum tuum.* Immediatè subnexuit: *Fiat Voluntas tua,* per hoc innuens: voluntatis nostræ submissionem sternere viam ad Regnum, à Patre petitum. Potuisset haud dubiè Salvator noster vel supra pinnaculum Templi, vel in monte Thabor Cœlum empyreum scandere,

re,